

**PRELIMINARY EXAMINATION FOR PART IA OF THE  
CLASSICAL TRIPOS**

---

Tuesday 20 April 2004      9 to 12

---

Paper 1

**LATIN TRANSLATION**

*Candidates must answer all questions in Sections A.*

*Candidates must answer one question from Section B.*

**All questions carry equal weight.**

*Answers from each Section must be written in a separate booklet.*

*Write your number (not your name) on the cover of each Section booklet.*

You may not start to read the questions  
printed on the subsequent pages of this  
question paper until instructed that you  
may do so by the Invigilator

## SECTION A

*Answer all questions*

**A1 Translate:**

quaeret quispiam: ‘quid? illi ipsi summi uiri, quorum uirtutes litteris proditae sunt, istane doctrina quam tu effers laudibus eruditu fuerunt?’ difficile est hoc de omnibus confirmare, sed tamen est certum quid respondeam. ego multos homines excellenti animo ac uirtute fuisse et sine doctrina, naturae ipsius habitu prope diuino per se ipsos et moderatos et grauis exstissette fateor: etiam illud adiungo: saepius ad laudem atque uirtutem naturam sine doctrina quam sine natura ualuisse doctrinam. atque idem ego hoc contendo: cum ad naturam eximiam et inlustrem accesserit ratio quaedam conformatioque doctrinae, tum illud nescioquid praeclarum ac singulare solere exsistere. ex hoc esse hunc numero quem patres nostri uiderunt, diuinum hominem. Africanum, ex hoc C. Laelium, L. Furium, moderatissimos homines et continentissimos, ex hoc fortissimum uirum et illis temporibus doctissimum, M. Catonem illum senem.

CICERO *Pro Archia Poeta* 15–16

**A2 Translate:**

quod si ipsi haec neque attingere neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari deberemus, etiam cum in aliis uideremus. quis nostrum tam animo agresti ac duro fuit ut Rosei morte nuper non commoueretur? qui cum esset senex mortuus, tamen propter excellentem artem ac uenustatem uidebatur omnino mori non debuisse. ergo ille corporis motu tantum amorem sibi conciliarat a nobis omnibus; nos animorum incredibilis motus celeritatemque ingeniorum neglegemus? quotiens ego hunc Archiam uidi, iudices – utar enim uestra benignitate, quoniam me in hoc nouo genere dicendi tam diligenter attenditis – quotiens ego hunc uidi, cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum optimorum uersuum de eis ipsis rebus quae tum agerentur dicere ex tempore, quotiens reuocatum eandem rem dicere commutatis uerbis atque sententiis!

CICERO *Pro Archia Poeta* 17–18

**A3 Translate:**

rumor in ambiguo est; aliis uiolentior aequo  
uisa dea est, alii laudant dignamque seuera  
uirginitate uocant: pars inuenit utraque causas.  
sola Iouis coniunx non tam, culpetne probetne,  
eloquitur, quam clade domus ab Agenore ductae  
gaudet et a Tyria collectum paelice transfert  
in generis socios odium; subit ecce priori  
causa recens, grauidamque dolet de semine magni  
esse Iouis Semelen; dum linguam ad iurgia soluit,  
'profeci quid enim totiens per iurgia?' dixit,  
'ipsa petenda mihi est; ipsam, si maxima Iuno  
rite uocor, perdam, si me gemmantia dextra  
sceptra tenere decet, si sum regina Louisque  
et soror et coniunx, certe soror. at, puto, furto est  
contenta, et thalami breuis est iniuria nostri.  
concipit: id deerat; manifestaque crimina pleno  
fert utero et mater, quod uix mihi contigit, uno  
de Ioue uult fieri: tanta est fiducia formae.  
fallat eam faxo; nec sum Saturnia, si non  
ab Ioue mersa suo Stygias penetrabit in undas.'

OVID *Metamorphoses* III 253–272

**SECTION B***Answer one question***B1** *Discuss:*

monte fere medio est, cingentibus ultima siluis,  
 purus ab arboribus, spectabilis undique, campus:  
 hic oculis illum cernentem sacra profanis                              710  
 prima uidet, prima est insano concita cursu,  
 prima suum missu uiolauit Penthea thyrso  
 mater et 'o geminae' clamauit 'adeste sorores,  
 ille aper, in nostris errat qui maximus agris,  
 ille mihi feriendus aper.' ruit omnis in unum                              715  
 turba furens; cunctae coeunt trepidumque sequuntur,  
 iam trepidum, iam uerba minus uiolenta loquentem,  
 iam se damnantem, iam se peccasse fatentem.  
 saucius ille tamen 'fer opem, matertera' dixit  
 'Autonoe! moueant animos Actaeonis umbrae!'                              720  
 illa, quis Actaeon, nescit dextramque precantis  
 abstulit, Inoo lacerata est altera raptu.  
 non habet infelix quae matri bracchia tendat,  
 trunca sed ostendens deiectis uulnera membris  
 'adspice, mater!' ait. uisis ululauit Agaue                              725  
 collaque iactauit mouitque per aera crinem  
 auulsumque caput digitis complexa cruentis  
 clamat: 'io comites, opus haec uictoria nostrum est!'  
 non citius frondes autumni frigore tactas  
 iamque male haerentes alta rapit arbore uentus,                              730  
 quam sunt membra uiri manibus direpta nefandis.  
 talibus exemplis monitae noua sacra frequentant  
 turaque dant sanctasque colunt Ismenides aras.

OVID *Metamorphoses* III 708–733

[TURN OVER]

**B2** *Discuss:*

hic puer et studio uenandi lassus et aestu  
 procubuit faciemque loci fontemque secutus,  
 dumque sitim sedare cupit, sitis altera creuit,                                  415  
 dumque bibit, uisae correptus imagine formae  
 spem sine corpore amat, corpus putat esse, quod umbra est.  
 adstupet ipse sibi uultuque inmotus eodem  
 haeret, ut e Pario formatum marmore signum;  
 spectat humi positus geminum, sua lumina, sidus                                  420  
 et dignos Baccho, dignos et Apolline crines  
 inpubesque genas et eburnea colla decusque  
 oris et in niueo mixtum candore ruborem,  
 cunctaque miratur, quibus est mirabilis ipse:  
 se cupit imprudens et, qui probat, ipse probatur,                                  425  
 dumque petit, petitur, pariterque accedit et ardet.  
 inrita fallaci quotiens dedit oscula fonti,  
 in medias quotiens uisum captantia collum  
 bracchia mersit aquas nec se deprendit in illis!  
 quid uideat, nescit; sed quod uidet, uritur illo,                                  430  
 atque oculos idem, qui decipit, incitat error.  
 credule, quid frustra simulaera fugacia captas?  
 quod petis, est nusquam; quod amas, auertere, perdes!  
 ista repercussae, quam cernis, imaginis umbra est:  
 nil habet ista sui; tecum uenitque manetque;    435  
 tecum discedet, si tu discedere possis!

OVID *Metamorphoses* III 413–36